DISPUTATIO INAUGURALIS
MEDICA
De

FEBRE TERTIANA INTERMITTENTE EPIDEMIA,

præterito vere Septentrionem,
ſubq́; ea Curlandiam
infeſtante,
Quam
PRÆSIDE SUMMO ARCHIATRO
INDULTU & AUCTORITATE
NOBILISSIMÆ & GRATIOSISSIMÆ
FACULTATIS MEDICÆ
IN
INCLUTA ALTDORFFINA
PRO LICENTIA
Summos in Arte Medica Honores, Privilegia & Inſignia Doctoralia, rite & legitime
Majorum more aſſequendi,
Publicæ Jatrophilorum disquiſitioni
ſubmittit

ROSINUS LENTILIUS,
WALDENBURGO-FRANCUS.
Phyſicus Crailshemenſis deſignatus.

Ad diem XIV. Octobr. A. O. R. M D C LXXX.

ALTDORFFI,
Literis Henrici Meyeri, Acad. Typogr.

SERENISSIMO ATQUE CELSISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO

JOHANNI FRIDERICO,

MARCHIONI BRANDENBURGENSIUM, MAGDEBURGENSIUM, BORUSSORUM, STETINENSIUM IN POMERANIA, CASSUBIORUM ET VANDALORUM, NEC NON CROSSENSIUM ET JÆGERNDORFENSIUM IN SILESIA DUCI, BURGGRAVIO NORIMBERGENSI, PRINCIPI HALBERSTADIENSI, MINDENSI ET CAMINENSI,

Domino Suo clementissimo,

Disputationem hanc Inauguralem

devotissimæ subjectionis pignus


offert

Serenissimæ Ejus Celsitudinis

Humillimus Cliens

ROSINUS LENTILIUS,

Phys. Crailshem. design.



PROOEMIUM.



Quem hic, Benevole Lector, partum conspicaris, conceptum Curonia inchoavit, Mare Balthicum formavit, Norica jam nunc tellus enititur. Quis itaq; si monstrum is potius, aut abortum æmulatur, quam fœtum perfectum, mirabitur? Spuma Maris non semper excludit Veneres, videas inde nonnunquam & horrenda monstra, & fimum & prodire quisquilias. Antecessorem vobis Nasonem sisto, qui suos in Ponto prognatos versiculos, auribus haut æq; delicatis placituros, non semel excusat. Inter abortus caussas animi pathemata, è quibus palmarium sibi fere locum terror vendicat, non sunt utiq; postremo collocanda. Quos incutere pavores Neptunus valeat, quando caliginosa tapete est usquequaq; Cœlum obvelatum, quando fulgetrorum jubar per intervalla tenebras intersecat, dum interea venti portentoso flatu aures percellunt, & fluctus immani fremitu naviculam hinc inde concussam, rursum prorsum, sursum deorsum jactant, ego quidem cum Comitibus sum egregie expertus. Inde mihi præsens, quem videtis, abortus nascitur. Abortum dico fetus immaturi, perfectionem suam nondum adepti exclusionem. Talis est mea de Febre Tertiana intermittente disputatio, quam si perfecte enucleatam, Benevole Lector, desideras, eam non in hisce pagellis, sed magno volumine quære. Tam enim est intricata febrium intermittentium doctrina, præcipue, quod earum caussas periodosq; attinet, ut numeris fere Platonicis obscuriora ea omnia jure dicas, quæ antiqui primario, deinde recentiorum nonnulli super hoc argumento prodidere. Hoc proinde, Lector Benevole, moneo, quando meam hanc dissertatiunculam legis, eam vix certiorem, quoad febris tertianæ caussas & rationem formalem, esse censeas, quam sunt fluctus maris, eam qui formavere.

§. I.

FEBRIS *five* à Romanorum *februis*, quod plurimis arridet, five à *fervendo*, seu deniq; urbe *Tabro* Arabiæ, in quam, ubi febricitantes se conferrent, à morbo liberabantur, sic appelletur, ejus quidem rei parum interest. Id saltem hic loci nosse juvat Græcis eam *πυρετὸν, ἀπὸ τοῦ πυρὸς*, *ab igne*, nuncupari, eo quod igneo quodam calore Sulphur sanguinis seu humidum radicale Veteribus dictum depascatur. Germani uno ore, das Fieber/ nomenclatura è Latio mutuata, vocamus.

II.

Nostra hæc Febris audit cum additamento *Tertiana*, itemq; *Triduana*, Græcis Τριταῖος, Germanis, das dreytägige Fieber/ oder daß man über den andern Tag hat/ quæ tertio quoq; die invadit, relicta una intermissionis die. *Intermittentem* dicimus ad differentiam *Tertianæ continuæ*, eo quod hæc calore continuato ægrotos coquat, saltim tertio quoq; die calor exacerbetur; illa vero per intermedium diem det ægris inducias, alternis vero diebus, five tertia inclusive die pugnam restauret. Dies invasionis febrilis, seu quando *paroxysmus* ingruit vocatur Germanis, der böse Tag/ dies vero intermissionis, Græcis *ἀπυρεξία*, Germanis der gute Tag. Quare hanc nostram vocemus *Epidemiam*, infra competenti loco patebit.

III.

Definitur autem mihi Febris Tertiana intermittens Epidemia, quod sit effervescentia Sanguinis & humorum præternaturalis, tertio quolibet die cum rigore invadens, totamq; certo tempore regionem affligens.

IV.

Genus seu ratio formalis est *effervescentia*, Græcis *ζέσις*, ebullitio ad differentiam *ζυμώσεως* seu *fermentationis* naturalis dicta, perq; eam intelligo motum *intestinum* excessivum è confusione particularum inter se maxime contrariarum ideoq; mixtionem renuentium exortum, cumq; turgescentia & frigore nonnunquam, aliquando calore conjunctum. *Effervescentia* autem *frigida* fit, quando *sal acre purum*, quod sulphurei vel oleosi in se nihil vel parum continet, cum *spiritu acido* congreditur, estq; frigidior eo, quo sunt particulæ puriores & minus vel

terre-

terrestribus vel lymphaticis aliis intertextæ: Ejusmodi cum intenso frigore effervescentiam è confusione salis urinæ volatilis cum spiritu salis communis aut Vitrioli experiri quilibet potest: *Calida* vero *effervescentia* oritur, quando *lixivioso sali* plus minus est *sulphuris & oleosi pinguis* conjunctum, cum calore vel intensiore vel remissiore; Talis effervescentia visitur in conjunctione spiritus seu olei terebinthinæ cum spiritu Vitrioli in apertam nonnunquam flammam erumpens, ut de spiritus vini cum spiritu Nitri confusione nihil dicam.

V.

In definitione dixi *effervescentiam sanguinis & humorum*, per quos *chylum* præcipue & *lympham* intelligo, quæ primum sibi ipsis in ductu thoracico, dein junctim sanguini in subclavia miscentur. *Præternaturalem* dixi ad differentiam naturalis tum bilis & succi pancreatici in intestino tenui, tum sanguinis venosi versus cor reflui & recenter è subclavia adventantis chylosi in corde.

VI.

Quo igitur pacto *febrilis* illa *effervescentia* in sanguine procedat, est nunc dispiciendum, id quod fieri commodius vix poterit, quam si ad naturalem paulisper statum recurramus. Ubi scitum est per hodiernas observationes, chyli maximam ad minimum partem (sunt enim, qui ejus quandam portionem per venas mesaraicas ad hepar meare statuunt) per glandulas intestinales transcolatam in venas lacteas transsumi, perq; eas ad commune chyli receptaculum, seu capsulam Pecquetianam properare. Per eandem verò anatomen novimus eidem capsulæ è vasis lymphaticis infundi lympham, quæ lympha cum subacida sit, una cum chylo per ductum thoracicum adscendit ad labyrinthum Bilsianum & venam subclaviam; ubi cum sanguine utraq; confusa cor subingrediuntur pro instituenda ibidem vitali effervescentia.

VII.

Suspicor itaq; in febribus Tertianis intermittentibus ob stomachici fermenti inertiam alimenta, præsertim prava, infra recensenda non in laudabilem cremorem digeri, nec ab exorta in intestino tenui bilis & succi pancreatici cum eodem è pyloro adventante cremore effervescentia excrementa rite separata

præcipitari, ac proinde chylum difficulter à glandulis intestinalibus sequestrari posse, quin *eum* generari *viscidum*, *lentum* & *acrem*. Ille chylus in vasa lactea transsumtus occasione viscitatis suæ dicta vasa *in tantum & particulariter*, *non in totum & universaliter* (sic enim è ruptis lacteis esset metuendus hydrops) *obstruit*, saltem lentore suo distributionem motumq; sui retardat. Dum ita lente chylus crassus & acris in vasis chyliferis movetur, inq; capsula Pecquetiana cum lympha ob rationem infra dicendam justo acidiore reddita miscetur, *oritur primum effervescentia*, *quæ*, *quia chylus oleosa pinguedine destitutus acrimoniam sibi adscivit, omneq; ab acido frigus est, existit frigida*, quod frigus ad musculos *ψόας* in lumbis primum sentitur, hinc una cum chylo & lympha effervescentibus per ductum thoracicum adscendit, per spinalis medullæ nervos omnibus corporis extremitatibus communicatur, cujus comes *est rigor*, quando eodem frigore panniculus carnosus, subjectum rigoris, lancinatur, adq; sui contractionem tremulam irritatur, qui rigor nunc major est nunc minor ob chyli nunc majorem nunc minorem acrimoniam; nunc magis nunc minus durabilis, prout chylus est viscidior, crassior adq; motum ineptior: Ex hoc proinde fonte est deducenda *lumborum tensio*, *dolorq; gravativus una cùm frigore per spinam dorsi sensibiliter repens*, de quibus ægri sub initium paroxysmi conqueruntur, tamq; diu durant, usq; dum materia per venam subclaviam sanguini versus Cor refluo remixta, cordiq; infusa rigori finem imponit; ubi obiter notandum à Practicis *rigoris* vocabulum præcipue *Tertianæ*, (hinc in definitione facta *rigoris* mentio) *frigoris quotidianæ & horroris quartanæ febribus* adscribere; & quidem in tertiana, dum chylus acrimonia salsa magis peccat, minus est frigus; major in quartana horror, ob chylum magis acidum.

VIII.

Jam ubi materia hæc acore viscido prædita sanguini in subclavia infunditur, cumq; eo Cor versus properat, magnos ibi cum accedente sanguinis sulphure tumultus excitat; dum enim sanguis pro more consueto crudiorem illam materiam subigere tentat, oritur *effervescentia calida* cum æstu nunc majore nunc minore, corpori per vasa communicato, & anxietate non levi, quemadmodum hæc omnia pro materiæ conditione oppido

variant;

variant; hicq; conflictus & æstus tamdiu durant, donec dicta materia viscida nunc maturius nunc tardius subacta, in moleculas dissipata, & maximam partem per *diaphoresin*, aliquando etiam *sudorem* foras eliminata, *paroxysmus cessat*, inq; statum omnia pacatum redeunt, induciæq; tantisper fiunt, usq; dum materia in intestinis & ductibus chyliferis denuo collecta, inq; motum cita, prælium novi paroxysmi adventu instauratur.

IX.

Illa vero *periodorum in intermittentibus diversitas* non est aliunde petenda, quam à *materiæ morbificæ copia, lentore, visciditate aut acrimonia majoribus vel minoribus.* In *quotidiana* enim, quoniam toties dicta peccans materia est fluidior, nec adeo tenax & viscida, ideo singulis diebus, quando natura se chyli distributioni rursum accingit, illa materia propulsa paroxysmum inducit; in *Tertiana* vero chylus viscidior, in *quartana* tenacissimus, tam in vasis lacteis diu hæret, tantumq; lentoris colligitur, quantum non amplius natura sufferre potest, sed à materia quasi turgente solicitata propulsionem ejus vi urget, *hinc novus paroxysmus.* Videmus id eodem prorsus modo fieri in iis, qui *hæmorrhoidibus* aut *defluxionibus catarrhalibus* per vices laborant, ubi sanguis illic, hic pituita tam diu colligitur, donec natura, ejus quasi copia irritata excretionem meditatur, eamq; præfinitis haut raro temporibus, in prioribus cumprimis; ut de *fluxu femellarum menstruo* nil dicam. Facile quoq; mihi quis largietur, postquam aliquot jam paroxysmi deferbuerunt, naturam quasi ad consuetum opus tempore statuto sponte redire, quamdiu præsertim adhuc materiæ vitiosæ quid restat, exemplo eorum, qui *cucurbitulis scarificatis mensibus utuntur singulis*, qui molestiam quandam & titillationem percipiunt, immo pustulis efflorescunt in locis antea scarificari solitis, si quando cucurbitularum usum intermittunt, Nec inde infertur paroxysmos eodem semper tempore eademq; hora necessario redire debere; *anticipant enim & postponunt* pro conditione tum ipsius humoris aut visciditate aut copia aucti vel imminuti, aut pro ratione virium seu roboris naturæ vel citius, vel tardius materiam propellentis.

X.

Si cuidam fortassean hæc sententia mira videtur & paradoxa, illi in se ipso experiri libeat, *aliquot horis post adsumtum cibum*

bum præterlapsis pulsum augeri, cordisq; motum esse concitatiórem, eo quod novus denuo Chylus per ductum Pecquetianum advectus cordi suppeditatur. Quidni ergo in febribus intermittentibus, quanto est chylus à naturali statu remotior, tanto majores in corde turbæ excitari possent? Quin *haut raro mox post assumtum cibum levi quodam rigore corpus concutitur*; quidni possit id fieri in statu præternaturali & febrili diathesi, ubi chylus & viscidior est, & acrior?

X I.

Stabulantur itaq; febres in primis viis, ventriculo, intestinis & mesenterio, incenduntur in Corde; nec quidquam vetat febrem tertianam intermittentem pronunciare *morbum intemperiei*, ejusq; subjectum statuere *Cor.* Atq; hæc omnia, quæ jam sunt dicta, caussarum remotiorum recensio, symptomatum concomitantium commemoratio, & morbi deniq; curatio, magis illustrabunt.

X I I.

Causas proinde *naturales* quod attinet, nullum equidem vidi temperamentum ab hac epidemia Tertiana eximium, *pituitosis* autem qui *humoribus* scaterent ea fuisse præ aliis affectos; sunt enim illi humores, ad febres intermittentes excitandas ideo aptissimi, quia sunt *obstructionum Parentes*: Sic fermentum ventriculi, bilis & succus pancreaticus viscida, non nisi chylum viscidum gignunt. *Ætati nulli, nulliq; sexui* hæc febris pepercit, vidi tamen in feminis, ubi semel eas invaderet, fuisse pertinaciorem.

X I I I.

Causæ nonnaturales consideratione sunt digniores, inq; iis *Aëris temperatura* non parum ad hanc febrem contribuit. *Hyems* enim, utut esset primo satis in illis locis septentrionalibus & *frigida & aquilonia*, humoresq; proinde corporis nostri, inq; iis *lympham aciditate* haut mediocri *imprægnaret*; frigus tamen illud vix ad usq; Sancta Natalitia perduravit, quin desubito remittens, subitam quoq; corporibus nostris mutationem intulit: raræ tunc fere nives, crebriores pluviæ fuerunt; Terræ sinus ante tempus reclusus multos vapores putridos exhalavit: Aër usq; ad Pentecostes Festum crassus, turbulentus & humidus, adustionem quasi nonnunquam spirans; venti pauci, &, si

qui

qui essent, *australes, fermenti ventriculi* ob Sal, quod è meridionalibus locis secum vehunt, volatile, *populatores;* cum magis profuissent *venti boreales acidum in sinu foventes* (hinc hyemali tempore appetitus major, hinc septentrionales populi Comedones) Hæc aëris mutatio subitanea vehementer fuit noxia, eo quod fermentum ventriculi antea, quòd aër esset convenienter frigidus, satis acidum, nunc subito fuit pessundatum, aq; aëre turbulento, crasso & fetido inspirato, mediante quoq; saliva iners factum, pituitaq; acris multa genita, cujus præsentiam superfluam *gravedines & coryzæ*, *quin tusses* fere nemini non, *febresq; catarrhales* multis molestæ demonstrarunt. Inde cibi adsumti rite fermentari nequiverunt, sed in lentorem potius quendam, & massam inutilem, è qua chylus laudabilis exsculpi non potuit, abierunt; quæ prava ventriculi fermentatio in tantum duravit, ut omnes humores, & per consequens etiam bilis & succus pancreaticus glutinosi fierent, tandemq; à chylo viscidiore semper facto vasa lactea obstruerentur, atq; ita febri Tertianæ daretur initium. Præsertim si *cibi*, pro more septentrionis incolis solemni, essent natura *viscidi & glutinosi*, vel alioqui concoctionis difficilis: ejusmodi sunt Pisces marini, &, quæ illo anni tempore fere sola comedi solet, Caro vitulina, carnes & pisces fumo indurati, &c. *Cerevisia* crassa, turbida nec satis defecata portionem suam contribuit. Cæterum superflua *quies & somni* diutius protracti febrem hanc multis modis promovere queunt, quatenus humorum legitima per motum & vigilias facta ventilatio sufflaminatur, totumq; corpus languidius, torpidiusq; redditur. Animi pathemata *tristitia, metus* hic symbolam conferre suam possunt:

XIV.

Caussæ præternaturales hujus esse febris possunt, *diathesis corporis scorbutica*, istis Maris Balthici accolis alioqui endemia; item *malum hypochondriacum*, *cachexia*, *imbecillitas ventriculi*, omnesq; morbi, in quibus humores lenta visciditate acrimoniæ conjuncta peccant.

XV.

Jam quibus fuerit Tertiana nostra Epidemia symptomatibus stipata enarrandum; ad caussarum enim illustrationem illa sane multum facient: Conjuncta itaq; primo fuit cum *totali*

appetitus abolitione; immo, quidam ægri, cibos ne quidem aspicere, aut vix odorari potuerunt: Hæc inappetentia non oritur aliunde, quam ab inertia fermenti stomachalis. Id enim certum est, appetitum naturaliter excitari ab acore fermentali, qui, quando stomacho vacuo, objectum, in quod agat, non habet, ventriculi membranas vellicat, inde tristis sensatio, fames dicta. Fermento autem inerte existente, membranæ nullatenus vellicantur, nec appetitus excitatur. (2.) *Nausea*, ejusq; sæpe comes *vomitus*: nam, præter id, quod audacter aliquis in hac febre Epidemia pronunciare potuit, hospitem hunc novum esse pro foribus, ubi sine caussa manifesta quis vomuit, ego præterea vidi, qui sub accessione singulorum paroxysmorum *per 4. vel 5. horas indesinenter vomerent*, magna cum cordis anxietate, tantaq; virium deperditione, ut eo momento animam exhalaturos existimasses; non, quod semper aliquid evomerent, sed, quod vomendi conatus continuo adesset: Omne tamen, quod evomebant, erat *gluten transparens ductile & tenacissimum*; post biliosi humoris nonnihil à vehementi impetu è fellis vesicula se effundente per pylorum accitus. Ejusmodi vomitus, quid aliud loquuntur, quam laborare ventriculum, humoribusq; per invasionem novi paroxysmi, (tunc enim humores eadem ratione, qua in navigationibus agitantur) motis ad cruditatum excretionem irritari? gluten vero rejectum, nonne, quales in primis viis humores stabulentur, demonstrat? (3.) *Lumbrici* neutiquam reticendi: fuere enim à multis per utrumq; guttur rejecti. Pharmacopœi cumprimis famulus heri jussu pharmacum antimoniale hausit, & *lumbricos rubros quatuor calami scriptorii crassitie, & 1½. ulnæ Rigensis quadrantes longitudine exæquantes* evomuit. A pituitosis vero ventriculi & intestinorum humoribus vermes propullulare est in confesso. (4.) *Alvi adstrictio*, vel à denegato bilis inertis stimulo (si id est bilis officium, intestina ad excretionem stimulare, & nisi absoluta intestinali effervescentia omnis aculeus hebescit) vel potius ob glutinosam excrementorum visciditatem, internis intestinorum parietibus affixam adq; motum ineptam; non enim in sphinctere culpa sita, quandoquidem aderant in ægris desidendi conatus, verum absq; excretione. (5.) *Lumborum primo, hinc spinæ dorsi, deniq; omnium extremorum rigor & dolor gravativus* molestissimus, cujus

jus rationem supra §. 7. explicatam videre licet. (6.) *Palpitatio cordis sub initium* æstus & finem rigoris cum anxietate magna multis molesta, quia à nimia concurrentium in corde humorum effervescentia Cor expansum una Systole satis contentorum expellere non potest, undiquaq; deniq; refertum materiam tenacem & inimicam cum impetu expellit. (7.) *Tussis* ad finem usq; rigoris ægris multis longe molestissima, nonnunquam *sicca*, nonnunquam *crassa viscida pituita*, cui *Salsedinis* nonnihil inerat, fuit rejecta: quam ego tussim sæpe à pituita salsa è capite depluente derivandam censeo, nonnunquam à pituita in ventriculo contenta, per œsophagum sensim reptante, ratione salsuginis arteriam asperam vellicante; vel etiam ex pituita salsa in tonsillis generata: Vel *siccam*, è pituita ventriculi valde lenta, sed acri & salsa, à qua vapores acres ad tracheam adscendentes eandem irritant. De *siti*, æstus febrilis individuo Comite, cujus caussa nemini est ignota, *Cephalalgia*, aliisq; Symptomatibus brevitatis studiosus taceo, & ad differentias propero.

XVI.

Differt hæc febris in genere à *continua* quavis, quia continuæ febres tempora sua sine remissione decurrunt: Deinde differt à *Tertiana continua* ob rationem supra §. 2. adnotatam. Differt à reliquis intermittentibus, puta *Quotidiana*, *Quartana*, quia hæc semper quaternis, illa singulis diebus paroxysmos suos renovant. A *Tertiana notha*, eo quod in Tertiana *exquisita* frigus & calor exquisite & magno cum molestiæ sensu utraq; affligunt, & intra duodecim ad maximum horas paroxysmus defervescit, in notha vero, quam ibi terrarum, das Klubsche Fieber / appellant, frigus & calor vix quidem sentiuntur, paroxysmi vero interdum ad 15. 18. 20. horas sese extendunt. Ab omnibus deniq; differt, quia hæc est *Epidemia*, hoc est talis, uti in definitione explicatum, quæ certo anni tempore totam regionem infestat.

XVII.

Tertiana febris haud difficulter internoscitur; quoties hæc est epidemia, Tuq;, cætera sanus, aversari cibos occipis, certo divina, peregrinum hunc hospitem esse pro foribus: ingruente paroxysmo oscitant ægri crebro & pandiculantur; hinc dolor

in lumbis circa os ſacrum gravativus perſentiſcitur, qui ſenſim ſenſimq; per dorſi ſpinam ad uſq; jugulum ſerpit; dum interea temporis rigor nunc magis, nunc minus, mora jam diuturniore, jam vero breviore corpus totum quaſſat, & moleſtum frigus affligit; ungues liveſcunt, labia cœruleo colore, totaq; facies livido fœdantur, *cutis fit anſerina pori conſpiciuntur*: Nauſea nonnunquam adeſt cum vomitu ac tuſſi: Poſtquam ceſſavit rigor, præternaturali corpus omne calore aſlatur, nunc remiſſiore, nunc æſtuante magis; roſeo vultus colore denuo pingitur & ſitis adeſt, usq; dum chylo à ſanguine ſubacto receptui canitur, & fiunt tantisper induciæ, dum adventante die tertia eodem ordinarie tempore prælium redintegratur. Interea *pulſus* eſt à paroxyſmi initio quaſi *obpreſſus*, à rigore, fibras arteriarum motrices infeſtante; mox incipiente æſtu fit *celer*, *magnus & frequens* à præternaturali humorum efferveſcentia ſtimulatus: *Urina* absq; *ſedimento rutila*, quando particulæ terreſtres intimius quaſi chylo & humoribus incoctæ, ad urinarias vias non amandantur, atq; adeo urina, quæ fermentari alioqui in veſica debebat, ob ſalis lixivioſi purioris præſentiam magis efferveſcit.

XVIII.

Porro eſt hic Senex divinus audiendus, *febres, quacumq; ratione intermiſerint, vacare periculo pronuncians*. Sunt enim ſanguinis totiusq; corporis mundificativum inſigne, ſingulisq; Paroxyſmis haut ſecus expurgatur corpus, atq; incenſa fuligine fumaria, als wenn man einen Schlot außbrennt / aut ex amiantho contextæ veſtes in ignem conjectæ ſordes deponunt. Verum enim vero, ubi Tertiana, quam par eſt, diutius affligit, aut quando Septenarium paroxyſmi tranſcendunt, non quidem, quod antiqui voluere, in alium ſemper typum febris degenerat, & è legitimis tertianis fiunt illegitimæ, ſed evadunt periculoſæ, morborumq; chronicorum, puta *hydropis*, *ſcorbuti*, *quin paralyſeos* haut raro productrices. Id meo cuidam amico, inſigni viro & erudito contigit, qui cum tertiana per ſeptimanas octodecim, ſed paroxyſmo fere ſemper anticipante, laboraſſet, Excellentiſſimusq; Harderus, Archiater Ducalis & meus ex aſſe Fautor induſtriæ ſuæ atq; dexteritati reliquum nihil feciſſet, adeo tamen fuit pertinax, ut corporis totius tumores, ventrisq;
dolo-

dolores insoliti, scorbutum esse pro foribus, nunciarent: Æger cœli mutationem sibi fore saluti persuasus, migravit nidum, *Windaviamq;* ad Reverendum Fratrem, amicum meum magnum delatus in resolutionem nervorum tantam incidit, ut per sex præterpropter menses ne minimum quidem digiti articulum movere potis esset; est *tandem antimoniato per Dei gratiam feliciter decocto restitutus.* Ne vero quisquam miretur tantas à Tertiana ludi tragœdias posse; nam per tot paroxysmorum fervores, sanguis balsamico suo Sulphure prorsus depauperatur, & exaltatis interea particulis ejus Salinis, ab igne indomabilibus, quin ad majorem potius acrimoniam evectis; *ad instar vini penduli sanguis vappescit*, indolemq; scorbuticam adsciscit; dum postea Sal ille sanguinis arteriosi in naturam lixiviosam fixiorem magis magisq; semper evehitur, ita Spiritus animalis quoq; pro ratione materiæ Spiritu suo volatili orbus & expers gignitur, nec est, nisi iners lympha; hinc motus impotentia & paralysis, non quidem è nervorum obstructione exorta, sed hoc in casu Spiritus animalis non secus se habet, atq; dum in sclopeto, quod pennam vocamus, debilius est, quam ut sit potis ad Ignem è chalybe cum impetu eliciendum, vel quando defluentis aquæ super molarem rotam impetus ad eam circumagendam non sufficit. Sæpissime hæc Tertiana ab initio neglecta, in novos quotidie paroxysmos efferbuit, ita tamen, ut proportione sibi primus & tertius, secundus & quartus responderent, quæ febris, num sit spuria quotidiana, an tertiana duplex, vel deniq; hemitritæus dicenda, in medio relinquo, idq; ob Practicorum altercationes, qui, quid per hos terminos velint intellectum, propemodum ipsi ignorant: Sufficiat innuisse, tunc febrim difficulter potuisse tolli, quemadmodum etiam, ubi, quod est sæpe factum, degeneraret in quartanam, hoc enim, quemadmodum acorem materiæ lentoremq; majorem, ita illud majorem ejus copiam significavit. *Anticipare* paroxysmos bonum non est, quemadmodum ubi *postponunt*, intestinum hostem brevi valedicturum prænunciant, *Vomitus* ineunte paroxysmo, quo & major est & diuturnior, eo majorem notat cum morbi vehementiam, tum ventriculi debilitatem. *Febrem* hanc superveniens *icterus* per cutis criticam quasi efflorescentiam haut raro sustulit. *Urina,* quamdiu est *perspicua & clara,* tamdiu morbum

ulterius iri prorogatum nunciat, quemadmodum ejus affore finem eadem *turbulenta & sedimento prædita* significat: Indicium enim est lentorem viscidum, quasi jam nunc subactum præcipitari. *Paroxysmi* quo sunt ab initio tertianæ *vehementiores*, eo validius naturæ robur, adq; resistendum alacre, febremq; proinde non fore diuturnam, notant: Contra, quo sunt primum *paroxysmi remissiores*, eo consuevit esse morbus durabilior. *Appetitus*, quamdiu *prostratus* perseverat, tamdiu, utcumq; *paroxysmi* per dies aliquod emanserint, non tamen adesse pacem, sed inducias, demonstrat. Sæpe quidem, non vero semper, morbum iri solutum, *labiorum exulceratio* notat; exulcerantur enim quandoq; ob materiæ morbificæ copiam & summam acrimoniam.

XIX.

Properamus ad intermittentis Tertianæ *curam*, ubi prætermissa de fontibus indicationum & remediorum operosa tractatione, statim á primo limine, conducat ne *venam* in intermittentibus & præcipue *Tertiana tundere*, disquirimus? Eam ego rarissime suadere soleo, multorum observationem esse certissimam expertus, *paroxysmum Venæsectionem insequentem esse prioribus longe atrociorem*, non tam quoad æstus, quam rigoris potissimum febrilis intensionem. Caussam enim morbificam non tam in sanguine, quam chylo latitantem, Venæsectio qui tollat? Nonne, dum eo pacto massa sanguinea diminuitur, proportio inter acrimoniam chyli viscidam, & sulphur volatile sanguinis cadit? hinc, quia spiculis suis orbatus sanguis æq; ut antea chylum viscidum subjugare non valet, frigus in sequenti paroxysmo intenditur, febresq; postea longe contumaciores & periculosiores evadunt, immo, quod antecedente paragrapho monitum, in morbos chronicos desinunt. Novi Matronam, quæ correpta febre, antea rigoris nihil vel parum persensit, imperata ab Empirico Venæsectione, cum vix esset religatum brachium, paroxysmus cum rigore vix tolerabili per 6 horas durante rediit, febre adeo pertinaci reddita, ut per septimanas octo medicinæ restiterit, quanquam, ubi per septimanas quinq; jam laborasset, ad eam sum demum vocatus Ni *proinde sit homo valde plethoricus, metusq; adsit, ne febrilis æstus rationi supplantet, Venæsectionem haud arbitror administrandam.*

XX. Pur-

XX.

Purgantia, quando plerorumq; virtus in Sale lixivo penetranti consistit, non sunt heic adeo temnenda; sunt enim apta nata ad viscosum chyli in lacteis vasis coagulum resolvendum, obstructionesq; illas expediendas. Nam, vel *ipsa purgatio non nisi levicula febris existit*, ob præternaturalem quam in sanguine fermentationem instituit, quæ, tùm à φλογώσ{, tum pulsu frequentiori, tum etiam subsequente siti proditur. Hic vero est virium habenda ratio, sunt itaq; lenia propinanda ex panchym. Croll. cum diagryd. granis aliquot sociato, die *cumprimis induciarum*. *Jalapina* quoq;, & quæ sunt alia *phlegmagoga*, prosunt. Quanquam enim *elective purgantia* cœperint à multis in dubium vocari, sana tamen ratio suadet, esse purgantia quæ hujus magis quam alius humoris, *concretive considerati*, ratione symboli fermentum sunt atq; menstruum. Ut rem summatim complectar: Non semper effectus voto respondet, si quando purgantia in intermittentibus ab initio propinantur. Sanguinem enim alioqui satis effrenem, fermentatione denuo inducta reddunt ferociorem. Sub morbi finem adhiberi possunt.

XXI.

Vomitoria semper sunt mihi & saluberrima visa & præsentissima; quanquam, qui febribus adhuc hodie *ptisanæ cremore* medentur, ab iis male sibi metuant. Nihil est periculi, modo assumantur ab initio morbi, viribus adhuc integris, in hominibus ætatis non adeo provectæ, nec thoracis aliquo morbo laborantibus: Humores eo, quo vergunt, per loca convenientia esse ducendos, Hippocrates monet; at eos huc declinasse, in præsenti, quem tractamus, affectu, paroxysmi cum nausea & vomitu, appetitusq; per totum febris decursum abolitio, demonstravere. Consentit ratio: vomitoria primis viis destinantur, nec adeo sanguinem, abditosq; corporis recessus peragrant, quam solum Tertianæ stabulum, ventriculum cum adhærentibus intestinis & mesenterio. Exhibentur in robustioribus elegantissimo stratagemate vomitoria *hora una ante paroxysmum*; febris ni prima vice emanserit, secunda tamen vel tertia raro revertetur. Sint autem mitia, stomachicisq; remixta vehiculis: præstat ♃ ij. Sulphur cum crem. Tartari exhibitum, vel ⊖ Vitrioli cum foliis asari: Debiliores ea sumant intermissionis die,

die, sed quod supra dictum, non nisi initio morbi, dum vires adhuc sibi constant.

XXII.

Specifica antifebrilia, quia simul, vel *diaphoretica* sunt, vel *sudorifera*, ideoq; junctim hæc tractare placuit: Specificorum itaq; antifebrilium virtus è *Salinorum præcipitantium*, *absorbentium*, *incidentium*, *deobstruentium & diaphoreticorum prosapia est* deducenda. *E VEGETABILI REGNO amaricantia* quævis, qualia sunt *absint. Cent. min. Card. ben. gentian.* familiam ducunt: Hæc enim, cum sint tenuium partium, pituitam viscidam in primis viis contentam potenter incidunt, & attenuant, adeoq; obstructiones reserant. Ni vero præcipitantia sint admixta, vel sudore res expediatur, humores viscidi naturam cascam haut difficulter resumunt. Pertinet huc etiam *Sinap. camph. piper*, *Spiritus vini; &c.* Sic in CURLANDIA multos vidi restitutos, qui *piperis grana IX. numero religiose observato, in* ♎. *frumentacei haustu sumerent*. Sic *Exc. WEDELII Ol. febrifugum ex Ol. pip. camph. & caryoph. ā ā.* mistum & ad gtt. iiij. v. in *Sir. cydon. vel granat.* adsumtum est nobile. Sic *China Chinæ seu cortex Peruvianus* alias *quoq; lignum febrifugum*, in hac potissimum Tertiana Epidemia fuit usus præsentissimi: Illud mihi summis laudibus *ILLUSTRIS BARTHOLINUS Senior*, Hafniæ cum commorarer, extulit; quam suo calculo laudem approbavit magnus & eruditione & virtute & fama *CONRINGIUS*; verum, quod *Excellentissimus BORRICHIUS Hafniæ* monuit, non sine metu recidivæ adsumebatur, præcipue si securi ægri, &, ut solent, obstinati, cum unus paroxysmus emaneret, ulteriorem pharmacorum usum recusarent. Idem, ut eo melius *China Chinæ* penetraret, ⊖. *vol. CC.* aliquot granorum pondere ei sociavit. Eq; his omnibus fiunt vel additione aromaticorum stomachicorum, ut *galang. cal. arom. nuc. mosch. it. cort. vel. pom. citr. sem. car. anis. fœnic. rad. Zedoar.* infusa vel decocta; vel etiam in forma *extractorum, pilularum, pulverum, remixtis* ⊖*ibus exhibentur*; pulveres enim in febribus, quia magis præcipitant, sunt præ formulis aliis commodiores. Sic in CURLANDIA consueverunt etiam *nucis vomicæ* ʒj. in vino assumere, quo medicamento multi convaluere; debet autem superior nucis pars abrasa rejici, usq; dum album sequatur.

XXIII. An

XXIII.

An in his febribus *opiata* sint usurpanda, merito quæritur? Antiqui vetant, quanquam non omnes, etiam hodie tutius abstinere *Nobilissimus BORRICHIUS* existimat, in elegantissima & plane curiosa *de somno & somniferis dissertatione* §. 32. ab ipso mihi humanissimo Auctore communicata. *Excell.* verò *WEDELIUS in opiologia sua* se febres tertianas opiatis antifebrilibus mixtis felicissime, sine omni recidivæ metu percurasse testatur. Ego tantum hoc dico: Quando febris hæc epidemia circa paroxysmorum initia, cum horrendis vomitibus, ad 4. vel 5. horas durantibus conjuncta fuit, tentataq; prius antifebrilia stomachicis mixta, & hora una præterpropter ante paroxysmum propinata, inuncta ventriculi regio, applicata emplastra, abstinentia imperata, opis nihil tulerunt, sed paroxysmo ingruente medicamenta ante paullo præbita simul fuere per vomitum rejecta; quorsum tunc erat confugiendum? Ad opiata profecto. Præbitum matronæ 63. annorum *laudani opiati gr. j. cum pulv. nuc. mosch. tantillo pulveri antifebrili mixta*, tempore debito; singulis paroxysmis sum aliquid lucratus, furorq; mali pedetentim desiit, cum ægræ reconvalescentia. Nec metuendum, pituita cui malignitas inhæret densata & coacta, eandem fieri contumaciorem, hac enim ratione malignitas illa, cujus τὸ formale plerumq; consistit in volatilitate ab opiatis fixata quasi coërcetur stato humorum effreni tumultu: *Opiatorum* proinde in tertianis usus per est interdum utilis, sobrie tamen adhibendus; humorum enim acrimoniam & temperant & sedant effervescentiam.

XXIV.

ANIMALE REGNUM absorbentia & præcipitantia suppeditat. Tales sunt *lap. 69. conchæ marinæ & nostrates*, quibus quandoq; solis febres pulsæ, *chelæ cancrorum, mater perlarum, CC.* & quæ sunt alia: hæc enim omnia ob alkalicam, quam possident, naturam, acorem in primis viis, mesenterio cumprimis & lymphaticis oberrantem, quo saturari cupiunt, absorbent; hinc subducta coagulante caussa, tollitur ipsum chyli coagulum, effervescentia illa præternaturalis sedatur, materiaq; morbifica præcipitata, per diaphoresin eliminatur: *Pulveres* verò *simplices* magis hic, quam *magisteria*, jam acido menstruo, quo

soluta fuerant, saturata, efficiunt; quanquam & magisteriorum in intermittentibus usus, alio tamen, quam præcipitandi fine, haud sit quaquam rejiculus: Alioqui ipsa *præcipitatio* Chimicis dicta in quadam mihi *absorbitione* consistere videtur, dum enim ab affuso liquore alio, menstruum, quod hactenus soluti corporis in se minima continebat, absorbetur, istæ atomi, tanquam nullis amplius carceribus inclusæ ad fundum secedunt. *Præclarus est pulvis absorbens WEDELIANUS.* Sunt & præterea, quæ possunt ex animali regno peti; sic *asellorum pulvis in vino* ante paroxysmum aliquando adhibitus juvat: sic in *CURONIA* vidi *lumbricorum terrestrium trium* in mortario contusorum & expressorum succum in aceti fortis haustu ante paroxysmum exhibitum febres solvisse plurimas, quod medicamen ceu Divinum in districtu Doblenensi Semgalliæ à matrona quadam Nobili fuisse circumlatum novi; Alioqui rario dictitat à ⊖e horum animalculorum volatili posse obstructiones expediri; sed vehiculum non placet.

XXV.

Ad *MINERALE REGNUM* progredior. Familiam hic ducunt ⊖*ia*, ad febres tollendas propterea commodissima, quod simul *sint & aperitiva, & diaphoretica & roborantia*, eaq; vel per se data, vel à ⊕*li* ♎*tu coagulata.* Talia sunt *Sal* ✱*cum* ejusq; & flores & cumprimis ♎us insigne sanguinis mundificativum, & acidi austeri domator eximius. ⊖*antifebril. Deck. ex Cap. mort.* ⊖✱*ci parat.* ⊖*com. ejusq;* ♎*us* & præcipuè dulcis, qui, præter id, quod adversatur morbo, ita est stomacho cumprimis amicus, sirupo cuidam stomachico ad saporis gratiam sociatus. ⌽ *idq;* *purificatum, seu lapis prunellæ*, duabus etiam intentionibus, siti nempe sedandæ, & reserandis obstructionibus accommodus: ⌽ ⊕*lat. seu arcan. dupl. ante paroxysmum* ℈j. ⌽ ♄*iat.* Huc pertinet remedium vulgi *CURONUM*, *pulverem pyrium in Spir. vin. haustu* adsumentium & convalescentium. *Aluminosa*, sed nunquam cum Salibus herbarum miscenda; ut *Magist. Alum. cryst all. Alum. tincti. Vitriolum ejusq; Spiritus cum lap. prun. &* ▽ *cichor. exhibitus. Elix. Vitr. antifebr.* Huc non sine caussa ⊖ia è vegetabilibus per incinerationem elixiviata refero, qualia sunt ⊖. *Card. Ben. cent. min. absinth.* & inde paratum cum *lap. prun. in* ▽ *cich. solut. & coag.* ⊖ *antifebrile Sim. Paulli. Chamæpyth. Scord.*

Circa

Circa hæc ⊖ia mihi ſunt tria monenda: 1. Quod ea huc referam ob affinitatem naturæ, videntur enim hæc ⊖ia, quia ſunt ⊖ia, vegetabilem quodammodo naturam exuiſſe; quanquam Chimicorum illam controverſiam, actu ne ſecundo & realiter hæc ⊖ia in herbis præexiſtant, an △is vi demum extorqueantur? propterea meam non faciam. 2. Hæc ⊖ia me aliis herbarum lixivioſis eſſe præferenda judicare, contra quosdam, qui ea ad unum omnia eſſe prorſus homogenea ſtatuunt, adeo, ut idem ſit in intermittentibus, vel *à geniſtæ vel Cent. min. ⊖e* effectus exſpectandus. Brevibus dico: *Errare, qui ſic ſtatuunt, Solæ Salium figuræ, quas eorum cryſtalliſatio diverſiſſimas exhibet, demonſtrant:* Quin Salia purgantia pure lixivioſa è MSStis. *B. JOH. VAL. MAJERI, diverſorum Sacri Rom. Imp. Statuum Archiatri & Phyſici quondam Crailshemenſis*, mihi ſunt cognita. 3. Eorum effectum eſſe longe præſentiorem ab initio morbi, quam præterlapſis 7. vel pluribus paroxyſmis. *Tartarea* ob materiæ affinitatem huc etiam refero: Sic egregia eſt *Tart. Tinct. ejus arcanum & ♎us ſuper lap. ♋. infuſus:* Sic *Tart. Tartariſ. ♁iatus à gr.* xv. *ad* xx. *laudatur. Crem. & cryſtall. Tart. Mixt. ſimp. Antimonium ſuppeditat ♁ium diaph. & bezoard. mineral.* It. *fl. ♁ii ſudoriferos: Ol. febrif. Deck. ex ♁io & ⊖✳co. Clyſſ. ♁ Sulphuratum:* Huc etiam *Tinct. ♂. aperit. bezoard. ♂le. fl. ⊖✳ci ♂les.* cumprimis in diatheſi Scorbutica: Hic deniq; *♎. aperit. Penot. cum ⊖e aperit. ex ejus Colcothare parato*, & quæ ſunt alia plura ob prolixitatem huc non referenda. Hæcq; omnia, quæ jam ſunt à nobis allegata partim aperiunt, partim abſorbent, partim præcipitant effervеſcentiamq; ſiſtunt, pleraq; ſimul movent ſudores, modo æger ſtragulis obtectis ad eum ſe componat: Quamquam idem eſſe propemodum, ſive ſudor inſequatur ſemper, ſive non, infra patebit.

XXVI.

Externa medicamenta quod attinet, præter *fomenta, ſacculos & inunctiones*, febri primario non oppoſita, in febribus multa dantur: Sic ejus generis epithemata ſolent nonnunquam febrilem effervеſcentiam ſiſtere, dum Salia figunt, & torpeſcere humores faciunt; qualia ſunt *narcotica:* Tale eſt è *radicibus hyoſcyani paratum epithema*, ad quod ceu ſacram anchoram, CURLANDORUM mulierculæ confugiunt: hoc epithema

carpis applicatur, quibus ſunt ſtatim arteriæ ſubſtratæ, atomos narcoticas, effervescentiæ febrilis ſedatrices imbibentes. Vel ſunt *extrahentia, rubificantia & cauſtica:* Quale eſt Viri cujusdam experientisſimi in Curonia, qui ex *allii, croci & ⊖is com. āā. contuſ. & quaſi emplaſtrat. medio annularis digiti articulo per 9. dies applicat.* Sic nonnulli *Zingiberis & ⊖is tantillum cum ovi vitello impaſtatum carpis* ſuper imponunt; Sic è *flammula, anſerina, tel. aran. araneis ipſis* (quale eſt Strobelb. empl.) *ſucc. urtic.* parantur epithemata: *Iberis* plantis pedum ſupponitur; ut & *cort. inter. nuc. jugl.* ✝*to macerat:* Sic *Spir. vin. Ol. abſinth. & balſ. Peruv. ſpina dorſi inungitur,* aliaq; plura: Nemo fortaſſean eſt prudentiorum, quin his interna medicamenta præferat. *Amuleta ex camph. aranea viva capſula incluſa, cap. lacert. vel ſerp.* in malignioribus locum habent. De curis *per transplantationem*, ut, quando *unguium præſegmina fluentæ* injiciuntur, aut quando *avena carpo per 24. horas alligata, poſtea terræ mandata cum ſui progerminatione febrem tollere* dicitur, ejusmodiq; pluribus, tacere malo; quam incerta ſine ratione propalare.

XXVII.

Ex adductis medicamentis medendi ſibi quilibet methodum prolubitu cudat; mihi ſequens eſt viſa præſentiſſima: In robuſtioribus, aq; febris initio, imperata tenui diæta (quamquam raro ſum ab initio vocatus) 3. vel 4. ad ſummum paroxyſmos defervescere ſivi, tum ob rationem ſupra in prognoſticis allatam, tum ob alias, quæ & Medicis ſunt, & ſolis eſſe debent notæ; non niſi *digeſtiva* fuerunt & *ſtomachica roborantia* adhibita; curaviq; ſemper, ut *alvus eſſet aperta*, ſegnisq; ſuppoſitoriis & clyſmatibus ad officium cogeretur: Poſtea fuit à me exhibitum *emeticum ♁iale è Sulph. ♁ii gr.* viij *ad* ix. (populi enim ſeptentrionales difficilius longe moventur, quam nos, qui ſumus auſtro propiores) *aut è ⊖e vitriol. cum foliis aſari hora una ante paroxyſmum;* cum autem febris eſſet vaga, tunc, quando dolor in lumbis ejus adventum nunciaret; obſervatis, quæ *ante, in & poſt vomitionem* obſervanda Practici monent, poſt aliquot vomitus dedi *ſtomachicum confortans è ♒u ⊖is dulci cum Conſ. alk. vel Elix. m. polychreſto;* intermiſſionis die non niſi *ſtomachica laxantibus mixta, reſolventia & deobſtruentia* dabantur, quale eſt præcipue *Elixir* illud, quod dixi, *polychreſtum*, quod non eſt, niſi

Eli-

Elixir propr. com. additis castorei & opii tantillo ; menstrui vero loco non Spir. vin. sed Spir. cochlear. nec Spir. vitrioli, sed Spir. Sal. armon. recipere soleo, idq; ob hanc rationem, quod in tantilla mea praxi observarim, *acida populis Septentrionalibus, cumprimis Balthici maris accolis, ob scorbutum iis endemium, esse noxia.* Redeunte paroxysmi die consueto tempore data dosis pulveris antifebrilis, *ex ♁ diaph. oc. 🝪. Sal. armon. lap. prunellæ, Sal. Card. ben. absinth. & cent. min.* adcurate mixtis, in forma vel pulveris, vel ob ingratum Saporem, boli cum *conf. ros. Conf. alk. diascord. Frac. theriac. Rob. samb.* vel forma haustus additis ▽ *is stomachicis, sudoriferis & alexipharmacis.* Semper enim admiscui medicamentis bezoardica, eo quod hæc epidemia, propter contagium malignitate non careret, ad eam proinde semper esset respectus habendus; A sumto medicamento exspectatus pro re nata sudor levis; aliquando omissus: non enim est semper necessarium, quod præcipiunt aliqui, sudare, idq; haut raro ad virium resolutionem : sufficit per solam diaphoresin exhalare salia à medicamentis ab humore inviscante expedita, quam serum utile corpori una expelli. Insequente rursum paroxysmi die pro virium ratione vel *reiteratum vomitorium vel pulvis antifebrilis*: Deniq; ubi vi mali coërcita paroxysmus emansit sequente intermissionis die *exhibito leni purgante curæ* à me finis impositus, continuatis nihilominus aliquantisper *stomachicis*, imperatæq; tenui diæta, & exhibito ad minimum *duabus adhuc vicibus medicamento specifico*, donec ægrum esse prorsus in vado cognoscerem. Febris enim hæc adeo fuit pertinax, ut, quando securi essent ægri, &, cum semel paroxysmus emaneret, sese omnino curatos existimantes medicamentorum usum non ad dies aliquod continuarent, *recidivam* utplurimum priori morbo longe pertinaciorem *experirentur.* In *plethoricis*, athletico habitu præditis, ubi nimia Sanguinis effervescentia delirium minitaretur, imperavi, quamquam vix id semel sit factum, ob supra dictas rationes, *Venæsectionem.* Ubi contraindicantia quædam *vomitoriorum* usum non esse adeo tutum persuaderent, ibi *purgantia*, & si die intermissionis adhibita, vicem suppleverunt. Quando vero Medici raro solent, etiam in quibusvis morbis, ab initio vocari, sed, ubi vetularum moleste officiosarum, aut agyrtarum consilia nil amplius possunt, & ridiculum

illud proverbium, wir wollen noch zusehen/ minitatur periculum; ideo ſæpe dicta medendi methodus obſervari nequit, & virium eſt habenda ratio; in *hoc caſu & purgantia exulant & vomitoria*, ſed *paroxyſmi diebus non niſi antifebrilia bezoardicis & confortantibus mixta, & intermiſſionis diebus cordialia & ſtomachica ſunt in uſum trahenda.* Ubi adſunt *horrendi vomitus opiata* caute accerſere nil prohibet; idem in *vigiliis* eſt factu opus, ubi uſitatus mihi *pulvis anodynus confortans è magiſt. Corall. rub. margar. laud. op. & ſant. rubr. conſtans*, vel per ſe datus ad ℨß. vel aliis medicamentis remixtus multum ſemper valuit. *Dolor capitis* epithematibus ſiſtendus, *vigiliæq;* inunctis temporibus *unguent. alabaſtr. popul. & op. arcendæ*: Carpi *ſacculis vel pulvillis cordialibus muniendi*: *Emplaſtra ſtomachica, oleorumq; inunctiones proſunt.* Sitim ſedamus *lapid. prunellæ* in aqua fontanæ ſoluti doſi; vel *cryſtallo in frigidam intincto*, ſubq; lingua ad ſiccitatem usq; detento, hinc denuo refrigerato, vel *Julebis refrigerantibus.*

XXIIX.

Quanquam autem ſim ægris ad ravim usq; ſemper oblocutus, in accurata *diætæ* obſervatione latere nervum curationis, in nulla tamen parte contumaciores eos & magis refractarios ſum expertus, quaſi non propterea nos ſimus homines, ut ratione ductrice affectibus dominemur. Dico itaq;, *in febribus cumprimis intermittentibus curationis cardinem in ſtrictiſſima diætæ obſervatione verſari.* Peſſime agunt ægri, qui nonnunquam clam Medicum, quæ erant ab eo vetita, ingurgitant, quem, niſi ſeipſos, fallunt? Peſſime agunt ægri, qui haut raro medicamenta ſibi à vetulis cum obteſtatione commendata clam Medicum ſumunt, & vel ob ingratum ſaporem, vel alios metus ridiculos medicamenta à Medico præſcripta non uſurpant, nihilominus redeunti Medico perſuadentes, ſe ſtricte ad normam præſcriptam vixiſſe, cui, niſi ſibi ipſis, nocent? Cum enim omne medicamentum ſit alterans, & uſurpatis peregrinis vel ordinariis remixtis, vel omnino intermiſſis, mutatio notabilis inſequitur, quam à Medicamento ſuo Medicus non exſpectarat; nonne tunc attonitus ad ægri lectum ſtat, ignarus, è quo fonte tam inexſpectatas morbi mutationes deducere debeat? Credo hinc fieri, quod Medicorum nonnulli ſe ab hujus vel illius pharmaci exhibitione hoc vel illud mirum & paradoxon obſervaſſe ſcri-

bunt,

bunt, quod tamen ab aſſumtione medicaminis fortaſſean peregrini inſcio Medico provenerat: Nonne *hæc eſt egregia fallacia ſecundum non cauſſam ut cauſſam?* Ita ſæpe Medicis illudi ſum ego ex ægrorum convaleſcentium ſpontanea confeſſione expertus. Sed hæc nihil ad diætam. *Aër* itaq; ſit *temperatus*; Juſto enim *calidior* vires reſolvit & febrilem efferveſcentiam adauget: peſſime ergo ſuis conſulunt ægris, qui vana perſuaſione ducti arbitrantur, quo ſit calidius conclave, eo fore ægrotanti ſalubrius; *Aër* juſto *frigidior*, medicamentorum operationi officit, requiſitam diaphoreſin pororum conſtipatione impedit, lymphaticorum thoracicorum contenta inviſcat, præcipue ſi poſt nimiam excalfactionem ſubito admittatur, & ſtomachi pituitam auget; Tutius itaq; eſt, excedere eum in calore, quam in frigore. *Abstinentiam* ego ſummopere commendo: Si enim usquam ille Hippocratis aphoriſmus, *corpora impura, quo magis nutriveris, eo magis læſeris,* locum invenit, certe hic invenit. Obſervate ſinguli! *ſemper qui cibatis paroxyſmus appellit, ferocior eſt & durabilior.* Cauſſa è ſuperioribus haut difficulter petitur: Quid enim eſt aliud cibus, quam febrilis materiæ pabulum? namq; aliud è cibis nutrimentum ab inerti ventriculi fermento excoqui nequit, quam, quod eſt pituitoſum & viſcoſum. Contra, quia in quovis paroxyſmo ſaltem aliquid humoris viſcoſi ſubigitur, ſic deniq; materia deficit, & abstinentia morbus tollitur. *Sæpe hac ſola, nullis adhibitis medicamentis intermittentes fuiſſe ſublatas, teſtantur Practici; nec eſt leve in curandis febribus ſtratagema imperare ægro 6. ad minimum ante ingruentem paroxyſmum horis, tum à potu, tum vero cumprimis cibo abstinentiam:* Non ergo ſunt ægri ad asſumendum cibum ab adſtantibus, quod eſt ſolemne, vi cogendi. Intermiſſionis die fruiſci *juſculo bordeaceo cum pullis gallinaceis cocto, aut avenaceo, vel decocto piſorum abstergente tenuiſſimo conducit; fugiantur carnes præcipue viſcidæ, & quæ ſunt flatuoſa olera & legumina.* Nec *piſcibus*, nec *lacticiniis ægri veſcantur.* Si forte appetitus ad horum aliquod feratur, præbeatur tantillum probe correctum; aliquot enim buccellis æger ſatiabitur. Exulabunt *horæi fructus*, quæq; ſunt ad fermentandum proclivia quævis. Quidſi æger anxie cibi quoddam genus appetat? Sic liberatos quosdam *oxygala*, alios *lardo cum braſſica comeſto &c.* teſtantur hiſtoriæ? ℞. nonnunquam appeti-

tus

tus est vagus; rationibus ergo primo ægri tentandi, si contumaces perseverent, poterit vel illis tantillum concedi (modo non absurda plane appetantur, idq; caute fiat, novimus enim funestos exitus) vel appetiti cibi aut odor aut sapor additamentis quibusdam ægris adversus reddi, sicq; illis licita & honesta fraude imponi. Potus sit *decoctum hordei usitatum passulatum, & Sirubo rubi Idæi vel succ. citr. nonnihil acidulatum*. It. *decoctum CC. Julebi cordiales, sed Saccharo & Sirubis* non ultra modum edulcorati. *Potus vini* non est omnino interdicendus, sed concedendus quandoq; haustulus, habito ad æstum febrilem respectu. Novi, qui contracta à *Vino crapula* convaluerunt, solutis per sal vini volatile obstructionibus. *Cerevisia mediocris cui non sit lupuli nimis incoctum*, est concedenda. In robustis *motus & vigiliæ* non nocent; quosdam febris post motum vehementem, venationes, diuturnam saltationem, malo per sudorem discusso, reliquit: *Somno & quiete* debiliores opus habent. Sit *alvus aperta*, munerisq; sui, si nolit obsequi à clysteribus & suppositoriis admoneatur. *Animi pathemata* sint moderata; memini recidivas *ab ira vehementi* exortas; in ira enim à sanguine ebulliente, spiritibusq; ferocientibus materia in lacteis hærens tanquam cuneo quodam in chyli receptaculum propulsa paroxysmum inchoat.

XXIX.

Affectus ejusmodi epidemii ob aëris contagium semper malignitatis nonnihil habent conjunctum; ideoq; sibi tempori sanus quisq; prospiciat, seq; decenter præservet. Fit illud primo vere corpus à superfluis impuritatibus *per lene purgans* liberando & probe expiando; Prodituris in publicum commendavi mane *mixturam præservantem è ♎. Tartari, CC. theriac. camph. Sal. vol. CC. & Elix. propr. absq; acido certa proportione confusis, digestis & filtratis*, vel etiam supra laudatum *Elixir polychrestum utrumq; in jusculo ad gtt.* xv. xx. xxv. Cibi sint eupepti, nec fumo indurati, salsi, viscidi; pisces edantur moderate: Potus sit vinum clarum, cerevisia non feculenta: Ne cibo ad extremam satiem se quis ingurgitet; Diætæ partes reliquæ decenter observentur.

TANTUM.



SUnt à *fervendo Febrem* qui dicier ajunt,
Qui procul à janua mihi vix errare videntur.
Nam quantus *Fervor* quavis in *Febre* cruoris
Adſit, *Hemitritæi* loquitur penetrabilis æſtus.
Heu! quot *fervores* Te reſtinxiſſe fidelem,
LENTILI, Medicum tellus CURONIA vidit,
Dum πυρετὸς crux, quem lux tertia ſemper adauxit,
Balſamicas atomos generoſi ſanguinis hauſit.
Et, quanquam *Febres ferverent* perpete flamma,
Sic Tua dexteritas, LENTILI, *efferbuit*, atq;
Docta manus, *fervor* quo *deferveſceret* omnis,
Quem Tu, temporius veniens, compeſcere velles.
Hinc factum, ut cuncti, quos ſub *fervore* gementes
Effectu Tua nulla carens Medicina levavit,
Ferverent in amore Tui. Sic Patria noſtra
Te civem in gremio promtiſſima, crede, tuliſſet.
Sed, dum, quæ *fervent* ſpatium ſibi turgeſcendo
Expoſcunt majus, Sic mens Tua *fervida* cogi
Non quit in anguſtum LETTÆI limitis orbem,
Sed merito fugit, & ſpatium ſibi congener optat.
Tale Tibi ſors nunc monſtrat GERMANIA, nutrix
Virtutum, inq; illa celebris FRANCONIA mater,
Quæ Doctorali Tibi tempora cingere lauro
Atq; diu meritos conferre decenter honores
Promta ſtat. Inviti Temet nos linquimus omnes,
Si revocare gradum placet, O revertere! læta
Altera Te excipiet CURONIA PATRIA rurſum.
Quanquam, ſi Superi Sedem ſtatuere remotam
A nobis, tamen in nobis *ferveſcet* amoris
Ignis perpetuus, nec *deferveſcet* in ævum.

Te modo ne capiat male fida oblivio ADOLPHI,
Dum Tibi læva papilla Salit ſub pectore. VIVE

Lentili nobiliſſime, & memor eſto

HENRICI ADOLPHI, Ducatuum
Curlandiæ & Semgalliæ Superintendentis.

TEmpus ferre roſas *ajunt. Sed cur Tibi Tempus*
promit in Octobri, Docte ROSINE, Roſas?
Scilicet, ut cito quæ fiunt, pereunt cito, Tempus
LENTILIO *merito* lentius *haſce tulit.*
Quas proin Autumnus jam dat Tibi, duraturas,
neve peremturas auguror eſſe gelu.
Sic ex hiſce roſis, generoſe ROSINE, *corollam*
immarceſcibilem nectet Hygeja *Tibi.*

Ita deſideratiſſimi *Domini Compatris* Summis in Medicina honoribus applaudit, eumq; ſimul eſſe ſui memorem jubet

JOHANNES ADOLPHUS HOLLENHAGEN,
Sereniſs. Duci Curlandiæ à Concionibus Aulicis.

L*Entilium lente* ſuperaſſe cacumina Pindi
nil eſt: Effectum id prima juventa dedit.
Lentilium lente didiciſſe Machaonis artes
nil eſt: crede mihi, ſat citò prendit eas.
Lentilium lente pepuliſſe tot agmina Cauſi
nil eſt: namq; ejus dextera promta fuit.
Lentilium lente Medicos properare ad honores
miror: teſtor Eum hos promeruiſſe diu.
Lentilium lente ad Patriæ revocarier oras
in votis habuit *Lettica Terra* Suis.

Lenti-

Lentilium lente me deſeruiſſe volebam,
sed, quid agam? video ſic placuiſſe Deo.
Lentili lente Te mens mea deſeret: Ergo
MUSMANNI monitum ſuſcipe, Amice, Tui:
Lentili lente capiat Te oblivio noſtri,
Lentili lente tecta reviſe poli!

Hac ad nomen Lentili! *Tuum alluſione*
Tibi
qui fuiſti corpore quidem hactenus, ſed per
tempus heu! breve, meus;
animo nunc ſemper meus,
Feliciter æternum, æternus Amicus
apprecor

MICHAEL MUSMANNUS, Paſtor
Doblenenſium in Curonia Letticus.

ROSINUM LENTILIUM,

Optimum Amicum, Fautorem & Medicum Suum,
Ad honores in Medicina Summos
Functionemq; publicam
properantem,
Sub diſceſſum è Curonia gratulabundus proſequitur

M. MARTINUS SCHMIDIUS,
Butisbac. Haſſus.

C*Orreptus eſſem cum* Febre,
ROSINE *docte, peſſima,*
Obnoxium doloribus
Jacere me crudelibus
Cogebat horror querquerus,
Æſtusq; fervidiſſimus.
Ut ſæpe cum multicipite
certamen hydra ducere,
Et ſæpius Draconibus
Flammas feras ſpirantibus
Negotium faceſſere,
Quinimò ſtabulum verrere
Mihi viderer Augiæ.
His omnibus non ſtrenuus
Eſſet ferundis Hercules,
Solus Tuus quæ Schmidius

Noctu

Noctu diuq; pertulit.
Nil namq; de singultibus,
De subdolis sudoribus,
Stagnantibus tumoribus,
De torminibus acerrimis
Obstructione & asthmate
Deliquiis apoplecticis,
Nihil canam superflue.
Ventum esteo, sex unicum
Ut mensibus digitum neq;
Pedis neq; manus verterem!
Miserrimum mortalium
In hoc statu me conspicans
Salute de, dico, mea
Actum est: Malum indomabile.
Utcunq;, quod nunc ambulem,
Et scribere hos jambos queam,
Tuæ fuit id industriæ,
Cumprimis autem gratiæ,
Quæ nos respexit cælitus.
O specimen artis Celsicæ!
Quæ sostra digna Solvero
Tanti mali levamine?
Tuum manebit insitum,
O LENTILI, *nomen animis*
Nostris, bonorumq; omnium
Tecum trahis suspiria,
Et vota, corde ex candido
Profecta. Quæ, reducere
Si non queunt ex Patria
Nostrum decus Te maximum,
Ventis tamen sociabimus,
Ut vela pellant ocyus,
Reddantq; Te GERMANIÆ,
FRANCONIÆQ; finibus,
Medicum Sagacem, sedulum,
Doctum, probatum pluribus,
Carptis honoribus prius
In arte Medica maximis,
Vergant, precor, qui in gloriam
Dei, *Salutem* Principum,
Tuumq; decus & commodum,
In gaudium Parentibus,
Solatiumq; languidis.

FINIS.

